



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Varia Orthodoxæ Fidei Testimonia Historica in Sæculo I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

V. MENANDER Samarita, Magi discipulus item, anno 74. quicquid Magister suus se esse dixerat, id & de se affirmabat, negans saluari quemquam, nisi in suo nomine baptizatum; suos nunquam morituros spondebat.

VI. NICOLAITÆ, ortum traxerunt ab Nicolao, Simonis Magi discipulo facto, anno 35, non ab Nicolao è LXXII. vno Diacono pio, teste *Baron. to. 1. anno 68.* Docebant communes uxores esse; voluptatem vero finem hominis ultimum; idolothya vorabant. Ex his cunctis nomen Nicolaitarum mutarunt in *Gnosticos* velut sapientiæ studiosos. De his infra anno 120. & 142. Supradicti ex philosophis Hæresiarchæ facti sunt. Vt iure Tertulianus dixerit *Philosophos hæreticorum Patres.*

V A R I A

Orthodoxæ Fidei Testimonia Historica in Sæculo I.

ANNO I. CHRISTI NATI fecit indicium *Stella* sub cælo; non firmamento infixæ, nec Angelus fuit; sed nova factura Dei ac Virtus, quæ oculos rapiens raperet & mentem ad inquirendum natum regem orbis.

Magistres de eadem ab Balaamo, per Arabum Traditionem edocti; ipsi Arabes, non Persæ, non Chaldæi; genus ad Abrahamum referebant, ex Cethura, vel Agar propagatum; stellarumque mire obseruans, ob vaticinium Bala-

mi præsertim Sapientiores gentis Saba; quales Magi: quos Origeni placuit dicere dæmonum excantores; qui, quædam statua & oracula obmutuere, alium inquisissent. Sed dicit hoc, non docet; probat nemo.

Munera obrulerunt, qualia regibus victis abstulerat Abraham: Et attulit Salomon Regna Saba sapientissima *Die XIII.* post Christum natum aduenerunt; non biennio post.

Idco Ecclesia ab Origine diem XIII. Epiphaniæ Sacrum semper celebrat triregium.

Herodi ac Ierosolymæ toti ab eis accidit *turbatio*: quæ a xit Simonis ac Anne vaticinatio; quo maturatū magis accensum cecidit Infanticidium; verò proprio filio pepercerit Herodes; diceretque Augustus, Satius est, quam filium, esse porcum Herodis.

In Aegyptum fuga Iosephi ac Mariæ, Angeli admonito, cædi eripuit Iesus. Cui in Aegyptum illato Persis arbor obuia se inflexisse traditur, per stare que incuruam, eiusque folia vim accepisse quæque morbos per sanandi: Item idola corruisse, fugisse dæmonia totâ Aegypto, quæ demum idcirco euasit tanto religiosior ab S. Eremitis culta, quo superstitiosior extiterat.

Locus deserti, qui latebram Christi dedit, nobilitatus est *horto balsami* optimi quem irrigat *Foniculus* felicitatis vndæ, ex quo Deipara IESVM abluere solet; *Lapis* quoque lotioni Mariæ seruans in sancta veneratione est Saracenis. Quo latiora horti felicitatis spatia rigarentur, in balsamiferi vndulas fonticuli-

lialio è fonte rium corruarunt, qui illi permixtus funderet latius benedictionem. Idem hodieque lampadem astant perpetem in loco, quem Deipara incoluit.

S. Ioannem Præcursorem abscondit ab occisione Zacharias primum; deinde mater cum eo fugitans in spelæo interioris deserti latitauit, dum post diem XL. Ipsum Deo redderet; pueri vero curam ageret Angelus, donec sui potes eremiticam continuaret.

Zacharias autem iussu tyranni, ob subductum filiolum, occisus est iuxta templum, effususque sanguis in vestibulo templi, perennes sui maculas silicibus assignat.

Iudas Galilæus, indignum ratas ab libero populo tributum dependi & Cæsarem appellari *Dominum* ab colentibus DEVM *Dominum*, occasione descripti orbis, Galilæos sollicitauit ad defensionem.

Vnde sectæ *Galilæorum*, negantium pro Cæsare fas sacrificare. Sed idcirco eorum sanguine miscuit sacrificia Herodes.

ANNO II. Iudæis fidem Cæsari iurantibus, iurare Pharisei renuerunt; & cum eis hominum sex milia quos male multauit Herodes: territi cæteri dictitabant, cedendum esse Decreto Dei.

ANNO VIII. Herode foeda ac dira morte sublato;

ANNO IX. *conspurgens Ioseph, accepit Puerum & matrem eius, & venit in Nazareth Galilæe*, incolens domum Christi natiuitatis aliam, ab illa, in qua fuit Annunciatum; Hanc Angeli in Dalmatiam, inde Lauretum, transportarunt.

Isthinc Christiani dicti fuerunt Galilæi, & Nazaræni: nec diu.

ANNO XII. IESVS sedit inter sedentes ac docentes, & interrogantes; ad idæam ac formam seu Concilij, seu Magisterij in Ecclesia Doctoralis. Inuentus porro *erat subditus illis*, adeo in fabrili etiam obsequio. Cætera de Christi infantia aut anilia sunt fabulamenta, aut figmenta Iuliani & hæreticorum; certe apocrypha omnia. Certa solum & vera ista:

1. IESVS Diuinitas, & Humanitas incarnati: *Ioan. 1. & Genealogia: Mat. 1.*

2. Ioannis ortus: *Luc. 2.*

3. Annunciatio, *Luc. 1.*

4. Iosephi hæsitatio, *Mat. 1.*

5. Ioannis natiuitas, &

6. Christi,

7. Magorum aduentus:

8. Purificatio;

9. Fuga,

10. Infanticidium,

11. Reditus,

12. Inuentio in templo:

13. Ioannis prædicatio, & testimonia de Christo.

Post hæc secuta est Prædicatio Christi. Interim Romæ agant 8000. Iudæorum, ne Regem habeant, obtinentque Tetrarchas facta regni diuisione quadripartita.

ANNO XVI. Exempto fatis Augusto succedit Tiberius, qui statuum sibi, templumue poni vetat, *Dominumue* dicit; *Cuncta*, inquiens, *mortalium incerta*, quantoque plus est quis adeptus, hoc magis expositus ludibrio est.

ANNO XVII. Sacerdotium Iudæorum conferunt Præsides Romani, qui

qui inde ab Herode sibi vendicarunt & Regnum, & Stulam Sacerdotij Summi. Hanc afferuarant in turris cella obfignata; vsusque ipsius erat interno solum anni ieiunio.

Rationale, & Sardonyx ab annis retro ducentis, cui brare solitum splendorem in Sacris, vel ante bellum, consulentibus Deum, deserunt. Græci id dicebant *ἀόγιον*, oraculum.

Nimirum annis circiter LX. post Simonem Machabæum Iudæos fecit tributarios Romanis victor Cn. Pompeius; qui Hircano, contra fratrem Aristobulum contendenti, Pontificium confirmavit: cui successerunt Herodes Ascalonita, Archelaus, Herodes Antipas, Herodes Agrippa, Agrippa iunior: cum qua *regnum Iudæorum defecit*, sub annum Orbis conditi 4055. anno post Christum natum LXXII. cum *regnum Aegypti* 40. annis ante defecisset cum Cleopatra.

ANNO XIX. Tiberius ipse fatidicos *Sibyllarum libros* inspexit, correxit; eo quod eorum nomine falsa quædam de Urbis interitu spargerentur.

ANNO XXIX. XXX. Prædicat Baptista Ioannes.

ANNO XXXI. dicto, *Isa. 61. Placabilis & Acceptabilis annus*, primus Prædicationis Christi.

Speluncam in Sina iam deseruerat Baptista, cum facta est vox super Ioannem, ut prædicaret *Pænitentiam*. Eam plus 200. annis post Ioannes anachoreta ingressus, toto triduo febriebat; abiturum apprensus Baptista manere iussit, idque vice altera; promittit ei sanitatem, si persistere velit isthic, ubi annos ipse XXX.

degisset. Assentiens sanatur. Demum ibidem est templum cum monasterio constructum. Itaque *Ioannes Monachorum princeps* recte dicitur ab Hieronymo.

2. Ille baptizans IESVM cœtera Sanctissimam meruit Trinitatem, quantum fas homini. Locus Baptismi in Iordane vim habet sanandi lepram: ecclesie sique ibidem constructa condecoratus est.

3. In deserto ieiunat Dominus.

4. Missio fit ad Ioannem percuratorum. *Tu quis es?*

5. Vocatur Andreas, Simon, Philippus, Ioannes & Iacobus.

6. Aqua in vinum vertitur; nuptiarum sponsus erat Simon Cananæ Zelotes, non Ioannes, prout ex male intellecto Augustino putatur. Locum miraculi S. Helena nobili basilica illustravit: Tempus annum pluribus Deus cõsignat miraculis fontium, eo die vino manantium: Vt in insula Andros, ubi ierisco incolæ templum posuere Bacchi: Nili pars ea hora fit vinum.

7. E templo eijciuntur negotiatores tempore Paschali.

8. Docetur Nicodemus nocte: Spiritus à Christo, quam Ioanne baptizatur, *Ioan. 3.*

9. Ioannes in vinculis prædicat Christum.

10. Colloquitur Samaritanæ IESVS, conuertitque Sichimitas.

11. Reguli filius sanatur: *Io. 4.*

12. Capharnaum eligit in suam, ac primum prædicat in Galilæa.

13. E naui prædicans, vocat Apostolos captura piscium attonitos.

14. Dæmoniacum curat Capharnaum.

15. Socrumque Petri sanat, pluresque alios.

16. In desertum secedens inuenitur, retinetur.

17. Galilæam pertransit sanando omnes.

18. Tres eum sequi volentes, sed non ut oportuit, reprehendit.

19. Mare, ventosque sedat.

20. Legionem dæmonum mittit in porcōs, & mare.

21. Demissus per tectum paralyticus sanatur.

22. Mattheum vocat; curque sui non ieiunent, docet.

23. Iairi filiam suscitatur, curatque Hæmorrhoidis; à qua *statua* Christo ærea ponitur; cuius herba, ad pedes excreta, morbos curat.

24. Cæcum illuminat, mutumque pellit dæmonium.

Abagarus regulus dat Christo, Christus ipsi *epistolam*: itemque & *Imaginem* sui, ut Conc. Nicænum credidit, ex prægressis miraculis quibus eam Deus condecorauit: ut quæ impressa pallio dederit victoriam Philippico sub Mauritio Imp. contra Persas. Græci celebrant de ea festiuitatem 17. Kal. Sept.

ANNO XXXII. I. IESVS ad pro-baticam sanat languidum.

2. Calumniantibus respondet.

3. Vellentes Sabbato spicas excusat.

4. Manum aridam sanat.

5. Eligit XII.

6. Docet Beatitudines.

7. Docet perfectionem Christianam præ legali: &c.

8. Leprosus mundatur.

9. Centurionis puer sanatur.

10. Viduæ filius suscitatur.

11. Ioannes in carcere legat ad Christum.

12. Peccatrix conuertitur.

13. Mutum & cæcum dæmonium pellitur: Beatus venter, &c.

14. Parabola seminantis, zizaniorum, Seminis, Sinapis, thesauri. &c.

15. Male in patria habetur.

16. Mulieres circumducit prædicans.

17. Mittit prædicatum Apostolos cum potestate in dæmones.

18. Fama IESVS ad Herodem fertur.

19. Plectitur Baptista.

20. Miraculum in 5. panibus.

21. Fugit regnum, mari cum Petro inambulatur.

22. De Eucharistia effectu prænunciatur.

ANNO XXXIII. I. De lotionem manuum, & traditionibus hominum.

2. Filia Cananæ sanatur.

3. Item surdus & mutus.

4. In 7. panibus miraculum.

5. Signum è cælo petitur.

6. Fermentum doctrinæ cauendum.

7. Cæcus in Betsaida curatur.

8. Clauis Petro promittuntur.

9. Petrus ut Satana reprehenditur.

10. Quid sit Christum sequi.

11. Transfiguratur.

12. Dæmonium eicere nequierunt Apostoli.

13. Iterum mors & resurrectio Christi prædicatur.

14. Didrachma soluitur.
 15. De primatu disputant discipuli.
 16. Signa faciens, nec sequens Christum, non reprehenditur.
 17. Paruulos non scandalizandos.
 18. Peccans frater corripiendus.
 19. Rationem ponit cum teruis.
 20. Clam ascendit ad festum tabernaculorum.
 21. Arcerur hospitio à Samaritis.
 22. X. leprosi curantur.
 23. In Scænopegia in templo IESVS docet.
 24. Laudatur à missis comprehensum eum.
 25. Adulteram dimittit.
 26. Subducit se lapidantibus.
 27. Cæcum natum illuminat.
 28. Qui Pastor & oues?
 29. Selegit misitque LXXII.
 30. Exprobrat ciuitatibus.
 31. Reuersis LXXII, gratias agit Deo.
 32. Lapsus in latrones suscipitur.
 33. Martha Iesum hospitatur.
 34. Vim, modumque orandi docet.
 35. Parabola de lucerna.
 36. In prandio arguit cupidos primarum.
 37. Varia docet, erigitque incuruam, hydropicum curat Sabbato.
 38. De cœna magna.
 39. De sequela Christi cum cruce. &c.
 40. Se è manibus eripit disputantium in templi encœnijs.
 41. Secedit trans Iordanem.
 42. De oue & drachma.
 43. De prodigo.
 44. De iniquo dispensatore.
 45. De insolubili Matrimonio.
 46. De Epulone.
 47. De scandalo, ignoscendum.
 48. De aduentu ad iudicium.
 49. De iniquo Iudice.
 50. De Phariseo & Publicano.
 51. Paruulis imponit manus.
 52. Diuitem adol. inuitat ad renuntiationem.
 53. De præmio sequacium Christi.
 54. De conductis in vineam.
Fons Siloe, precibus Isaia productus, in obsidione sub Ezechia, Iudæis solis featuriebat, Gentilibus atescebat. Hinc ad eundem Iudæi appoluerunt Isaie sepulcrum.
Idem, quia Sabbato tantum manebat aquis, dictus est *Sabbaticus*.
- ANNO XLXIV. 1. Lazarus resuscitatur.
2. Initur Conciliū de Iesu perdedo.
 3. Passionem prædicit.
 4. Zebedæis abnuir petitionem Primatus.
 5. Cæcus ad Ierico illuminatur.
 6. De Zachæo.
 7. De Xmnis.
 8. Duo cæci extra Ierico sanatis.
 9. Cœnans perungitur.
 10. Asino cum palmis inuehitur in urbem, ritu nouo, nusquam solito, solusque Dei proprio. Ea ipsa *PAULI* A sala perstitit, cæteris à Tito arboribus excisis vniuersis. Titus *in monte Olivæ* castra posuit, vbi Christus super ciuitatem fleuit.
 11. Eijcit templo negotiantes, ficulnea maledicit.
 12. Quæritur à Gentibus.
 13. De Baptista baptismo quæritur.
14. Duo

14. Duo filij dissimiliter obediunt patri.
15. De vinitoribus homicidis.
16. De nuptijs filij Regis.
17. De tributo Cæsari:
18. De resurrectione quæritur:
19. De primo mandato, & Patre Christi.
20. Scribæ audiendi, & cauendi.
21. Vitia Scrib. & Phariseorum de- pingit.
22. Pauperulæ munus.
23. Euerfionem templi prædicit.
24. Secutura mala.
25. De yrbe euerfione.
26. De signis aduentus vltimi.
27. Paratos esse iubet.
28. De X. Virginibus, Talentis, & Iudicio extremo.
29. Concilium de perdendo IESV.
30. Agnus paschalis præparatur. Paschæ & Azymæ solennitates erant diuerfæ; eodem tamen die agitabantur, sed vespero connumerato.
- In Paschate singuli è vulgo erant Sacerdotes, v. d. imantes à prima ad vndecimam horam, epulantes communiter. Festi initium, finisque tuba dabatur. Pascha etiam dies singuli 7. sequentes Azymorum dicebantur; & omne Sacrificium.
- Eiusdem Cane duplex mensa seruabatur: prior Agni, altera Azymorum; ante vtramque lauabantur. Cœnatoria vestis erat Syndon, sine qua discumbere nefas.
- Post secundam mēsam Azymorum, Christus vt apophoretum, instituit Eucharistiā, sic, veluti pro more Iudæi totā azymorū, & poculū benedicere consue-
- rant, & præbere singulis. Mos sacrificandi sub vesperum tenuit in Africa diu: Pariter quidam pertendebant conferendum baptismum agentibus in ætate Christi: Sed hi sunt refutati; illorum mos obsoleuit.
- Calix argenteus, sextarium gallicum continens, asseruatur Ierosolymis ille, quo Dominus est vltus.
31. Pedes lauat.
32. Proditor denunciatus egreditur.
33. Hymno dicto, de primatu contentes, reprehenduntur.
34. Dat Mandatum nouum.
35. Sermonem habet post Cœnam.
36. Orat pro sui clarificatione, discipulis, Fidelibusque futuris.
37. Orat in agonia horti. Ferunt petram, cui innixus orauit, cessisse genibus vt caram, ac etiamnum genuum ostendere vestigia. Ideo lapis ille intra ecclesiam nunc visitur inditus muro.
- Fertur & in lapidibus torrentis impressa Christi vestigia cerni.
38. Christus Annæ sistritur, à Caipha examinatur, illudatur, negatur à Petro.
39. Iterum à Caipha examinatus damnatur.
40. Iuda fœde disrupto, ager figuli emitur.
41. A Pilato examinatur:
42. Herodes spererum remittit Pilato.
43. Barraba dimisso, flagellatur, coronatur, traditur crucifigendus.
44. Crucem baiulat.
45. Flentes admonet IESVS.
46. Crucifigitur, mortui latus aperitur, sepelitur, custoditur.

Columnnam Christi tangunt multi fascijs, & has vt sanctificatas reuerenter asseruant, morbosque per sanant. *Corona* reuirescere videtur; ideo serua olim nulla ferebantur in honorem coronati. Passim festiuo honore colitur.

Locus crucifixionis Dominicæ est, qui immolationis fuit Isaaci, qui sepulcræ Adami; idemque dein & damnatorum locus erat.

Velo scisso visa columba candida euolare templo.

In terræ motu superliminare templi decidit: auditique angeli tutelares templi dicere, *Transeamus hinc.*

S. Instrumenta passionis omnia sunt asseruata;

Crux inter multos diuisa manet integra, nec cariem sentit.

Terra S. Sepulcri valet aduersum complures morbos, dæmones. &c. *Hesperius* pauxillo Terræ templum posuit.

Ante *Sepulcrum* lampades ardent honori merito.

Longinus, reclamatione corruptis custodibus in ablatis Christi rumore; militiæque obnunciatis prædicat Christum in Capadocia.

Ioseph Arimat. post sepultum Dominum à militibus Romanis sit nexus; at suspensis diuinitus muris carceris liberatur à Christo resurgente.

Post Resurrectionem:

Hæc manifestata est 1. Mulieribus per angelos,

2. Magdalenz;

3. Iteram mulieribus:

4. Custodes eam annunciant.

5. Euntibus in Emaus apparet:

6. Collectis absque S. Thoma:

7. Præsentem Thomam;

8. Ad mare septenis apparet, Petro commendat oues.

9. In Galilæa se ostendit, suos trinitate cum potestate: S. Spiritum promittit: in cælos ascendit.

Pilati ad Tiberium de Christo epistola constat; eam recitante Tiberio Senatus spreuit.

Maximinus tyrannus falsa *Acta Christi & Pilati* vulgat, quæ in Ludis doceantur pueri, vt sic horrore erga Christum imbuantur.

De Sibylle libris refert ad Senatum *Quintilianus* Tribunus plebis: sed iam ante erant discussi à Collegio Sacerdotum iussu Tiberij; sc. vt ijs conuincerentur Gentiles.

Vestigia Christi ascendentis quia Orientem spectant, etiam Christiana templa eodem vertuntur; & orantes.

Ex vestigijs quantumuis terræ sumitur, eorum tamen forma inconspicua per manet.

Ecclesia istius in ædificanda loco in milium coniungi fornix valuit; neque pauperi humus; quæ omnem accessum respuit. Nunc lapis cum vestigijs est à Turca positus supra portam claustrum Orientalem.

Post Ascensionem

Electioe *Matthiæ* à Petro facta per sortes schedarum in urnam milliarum, data est formula Canonica electionis. Mulo Sp.

Sp. Sancto eum ebrii credebantur, Petrus omnium defensionem primus suscepit, & praedicatione 3000. hominum conuertit & baptizauit in nomine IESU; in quo implicite Patrem & Sp. S. contineri definiuit Stephanus PP.

Horarum Canoniarum antiquitas indicatur ex eo, quod Petrus & Ioannes ad Horam nonam ascendebant in templum oratum. Perleuerabant item in *fractioe panis quotidie*. *Diaconi septem* potissimum sunt ad mensas electi Sacras; etiam ad Communes. Et quo relictis munus exequerentur plures sub se Ordines habebant, ait Ignatius, *Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores*. Viduae eligebantur in *Diaconissas*, quae portas seruant mulierum; sicut virorum viri; nam separati degebant: quaeque eleemosynas mulieribus dispensarent. *Presbyterae, Episcopa* dicebantur quarum mariti in Presbyteros aut Episcopos fuerant electi: Erant autem laicae, non sacrae. Petrus praesentibus Ioanne & Iacobo Zebedaei ordinat Iacobum minorem in primum Episcopum Ierosolymae. Vndemos manauit in Ecclesiam, vt Ordinatio fieri debeat minimum coram duobus Episcopis.

Iacobus gestauit bracteam auream in capite; in dieo, Regale esse Sacerdotium Christi iuxta ordinem Melchisedech, qui Rex & Sacerdos erat.

Ioannes in capite gestauit laminam auream; inde mos, vt Episcopi gestarent Cidarim bracteata, ceu Regales Sacerdotes.

Stephanum diu vetitum sepeliri, humauit Gamaliel cum planctu magno; scilicet pro more cum lampadibus, suffitu, pan-

no candido, &c. quae sunt solatia & certorum indicia viuis. Planctus tenebat 70. dies: Hinc mos *Exequiarum*, & Suffragiorum pro defunctis in debito poenae, seu culpa venialis; non mortalis.

Persecutio dira sauit post necem S. Stephani Paulina. In qua Nicodemus exul a Gamaliel receptus alebatur vt Confessor Domini.

ANNO XXXV. ab occisione S. Stephani plus 15. millibus Christianis ex Iudaea dispersis, Philippus Diaconus Samaritanis praedicauit; conuersisque plurimis, Apostoli Principem suum rogarunt Petrum, vt de facta gentium conuersione videret.

Venit, vidit & in Nationes descendere Sp. Sanctum, *Act. 10*. Quare tunc imponebat manus super eos, id est, Confirmationis Sacramentum eis impedeat: quod Episcopalis est muneris: vt, baptizare & praedicare, Diaconi. Vnde ea Confirmatio a S. Cypr. *epist. 72*. dicitur a S. Cruce impressa, *Dominicum signaculum*, a Clemente Alex. apud Eusebium l. i. ca. 17. *Sigillum Domini*, quo illuminatum adolecentem S. Ioannes Euangelista obsignauit. Ab vnctione dicitur *Chrismatis Sacramentum* a Cypriano *epist. 70*. Tertul. l. de resurr. ait, *Caro ungitur, vt anima consecretur, muniatur; & spiritus obumbretur, ac illuminetur*. Vide Bzouium an. 35. §. 6.

ANNO XXXVI. Ex Saule fit Paulus, vnus e multis in Christianorum persecutionem emissis; Christiani vero accusabantur a Iudaeis Atheismi.

ANNO XXXVII. Caiphas, vitae pertusus, sibi mortem consciscit. Pilatus Romae grauissimorum scelerum reus peragitur.

ANNO XXXVIII. Agrippa in carcerem compingitur; quod mortem esset Tiberio imprecatus; at à Caio exolutus pro ferrea donatur aurea catena pari in pondere; & coronatur anno infecuto.

ANNO XXXIX. Paulus visitat Petrum Ierolymis, ut Principem Apostolorum. Petrus vero Syriam peragrās ac visitans Sedem primam collocat Antiochia; tenuitque annis 7.

ANNO XLI. Petrus diuino iussu recipit Gentes: id quod exprobrans ei Cherinthus excitat murmur aduersus Petrum. Sed vicit Dei gratia.

Ex eo & ceteri Apostoli ierunt in dispersionem gentium; at prius *Matheus scribit Euangelium*, sic iubentibus Apostolis. Id descriptum Bartholomæus contulit ad Indos. Barnabas cum eodem humatus est, *Pilatus* exul Viennæ sese condidit.

ANNO XLIII. Quia hæresiarcharum sectatores DISCIPULOS sese vocabant; idcirco Fideles, ad differentiationem, nomen Discipuli in CHRISTIANI mutarunt, Antiochiæ primum in erecta ab S. Petro ecclesia; iam tum populosissimos. Vnde S. Ignatius epist. 6. *Qui alio nomine appellatur præter HOC, hic non est Dei; nec accipit prophetiam, Is. 62. Vocabitur tibi Nomen, quod os Domini nominauit, & erit populus sanctus.* Hinc posteri Antiocheni sumpserunt animos, ait S. *Chrys. hom. 7. in Mat.* ut Primatum in totum orbem Christianum affectarent. Ethnici per despectum dicebant *Chrestus, & Chrestianus.*

Nomine, FRATRES, etiam gloriabantur CREDENTES.

Verum cum Carpocratiani teste *E. piph. heresi 27. & 29.* inuaderent nomen *Christiani*, ceptum est superaddi cognomen CATHOLICI. Vnde Pacianus ad Symmachum Nouatianum; *CHRISTIANVS mihi nomen est; CATHOLICVS uero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostenda. Hoc probor; inde significor.*

ANNO XLIV. S. Iacobus, frater Domini, Episcopus Ierosolymitanus, Hispanias adiit, ac Deiparæ posuit ecclesiam apud Cæsaraugustanos; ut fert Traditio. Descenderat noctu S. Iacobus cum Discipulis, ad ripam Iberi, adorandum: uoi & uidit choros Angelorum, auditque concinentes: *Sue Maria gratia plena: Alios uero respondentes, te nedicamus Domino.* Mediam quoque inter eos conspexit B. Mariam cum filio & S. Ioanne Euangelista, iubentem, ostendit sibi Ædiculam extructe tibi ipsam in columna uidisset; fore ut ibi tuam flagratibus opem ferret. Dictum, factum. Calixtus III. in Bulla an. 1465; testatur. Interim anno eodem Petrum educit exire per Angelum Ecclesiæ orationis Diuisionem secundam, sic SYMBOLI Apostolici causa condendi; cuius articulos singulos singulistribuit Apostoli S. Augustinus, *serm. 115. de tempore.* Quod exinde tueuit ante Concilia recitari; ut conditum, sic & Traditione cultum sola; nulla accessione factas quod nulla Romæ coorta hæresis unquam postularit. Monet uero S. Augustinus id diutim mane cuique recitandum Christiano.

Eodem anno, facta Collectarum initiopro pauperibus in Ecclesia per Paulum & Bar-

& Barnabam, cunctis de Clero Antiochiae ieiunantibus, & sacrificantibus illis benedixit Sp. Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, IMPONENTES QUAE EIS MANVS: ut, ait Chryf. hom. 27. in Act. cum potestate predicarent, scilicet. Sacris eo ritu initiati, quos prius fuerat nuda potestas praedicandi extraordinaria ex DEO; nunc vero ab Ecclesiastico Magistratu ordinaria. Atque hac etiam hodie ab Orthodoxis discernuntur haeretici, curi entes non missi.

Paulus autem continuo post inaugurationem raptus, 2. Cor. 12. audiuit arcana, quae non licet homini loqui.

Caiari confinxerunt Euangelium Iudae proditoris; alij alia apocrypha.

ANNO XLV. Princeps Apostolorum in Vrbe urbium princeps principem fundavit Ecclesiam Romanam, Cathedra Petri dicato die solenni; Ea vero liguea hodieque in Vaticana custoditur testis SS. Patrum panagyricis celebrata. Vnde S. Cyprianus li. de Vnit. Eccl. docet; quod, qui Cathedram Petri deseruit, in Ecclesia se esse non confidat. Et S. Hieron. ep. 57. & 58. ait, Quicumque Cathedrae Petri inuigilat; Mens esse confidat. Quicumque extra hanc domum comederit Angam, profanus est. &c. Vide Bzouium. §. 2. S. Petrus instituta rite Cathedra Romanam Monarchiam, primam scripsit Epistolam encyclicam ad Orientales ex Vrbe, id est, ex Babylone, respectu illius, quae fuit caput idololatriae. Eam terminat isto; Salutate inuicem in osculo sancto, in signum Pacis.

Receptus inde fuit in Ecclesia ritus, ut in Missa post orationem Dominicam

ad Pax vobiscum, viri seorsim, seorsim foeminae inuicem osculentur. At mali mores fecerunt osculum transferri ad tabellam, quae singulis osculanda praebetur.

S. Marcus, Petri comes indiuiduus, scribit compendio Euangelium Petri iussu. A quo missus Alexandriam, isthuc instituit ecclesiam, & scriptum Romae Euangelium vertit graecè: quod nunc Venetiis est.

Fundata iam Ecclesia Romae sic, ut dici Romanum, & Catholicum reciprocè pro eodem caperetur. Quocirca Petrus Antiochenae renunciens ecclesiae surrogat sibi S. Euodiam.

ANNO XLVI. S. Petrus Missiones complures frequentauit ad diuersa, distitaeque loca: quarum inde ab Christo repetiuit exempla.

ANNO XLVII. S. Thecla illustrissimo renunciat sponso, facta Pauli discipula Virgo, ait Greg. Nyss. Idcirco acculante sponso bestiis obiecta, tum in flammis iniecta, utrobique permansit illaesa; ferro demum recepto Martyr caelo recipitur. Eius exemplum Virginitatis est tropaeum.

ANNO XLVIII. Deipara obdormiens in caelum assumpta est: interfuit sepulturae S. Dionysii. Apocrypha censentur, conuectos miraculo Apostolos, praeter Thomam, serius allatum: Iudaeo tumbam euersuro manus aruisse: cingulum ei caelitus missum, &c.

ANNO LI. Quia Iudaei, Christianorum hostes iurati, Romae turbas ciebant, omnes edicto proscribuntur à Claudio. Petrus simul cedere coactus varijs peragratis, institutisq; Ecclesijs, de-

demum Ierofolymis celebrat Concilium cum Paulo, Ioanne, Iacobo, Barnaba & Senioribus, ad abolendam Circumcisionem; cuius causa Cherinthus insurgens contra Paulum. Item ad damnandos hæreticos, pertendentes *Vetus cum Novo Test. seruandum esse*. Item à suffocatis abstinendum; idque pro tempore, quo inter Christianos debebant plures ex Iudæis, quam Gentibus. Hinc Petrus Antiochiæ cum Christianis è gentibus ea comedit; Ierofolymis vero non; quod plures ibi è Iudæis essent Christiani. Visus tamen Paulo fuit reprehensibilis, non ob factum; sed ob consequens facti, quod eius exemplo gentes mouerentur ad similiter iudaizandum.

De Nocturnis Vigilijs vide Baronium hic.

ANNO LIII. Paulus in 2. Thes. 2. iubet TRADITIONES teneri, quas didicisti siue per sermonem, siue per epistolam. Quarum Apologiam vide in *Bzouio* hoc an. 5. 2.

ANNO LV. Pauli sudaria, & semicinctia tactu sanationes faciebant: quæ, ait Gennad. de Eccl. dog. 172. qui negare voluerit, iam non Christianus, sed Eunormianus, & Vigilantianus credendus est. Vnde contra Iulianum vox est Greg. Nazianfeni: *S. Martyrum corpora idem possunt quod anima. siue manibus contrectentur, siue honorentur. &c.*

Exorcizantibus filijs Sceuæ insultant maligni, Act. 19. *Iesum scio Paulum noui: vos autem qui estis?* Simul infiliis in eis spiritus nequam pene expectorauit multatos male. EXORCISMVS vero Christianus longe felicior est, testibus Iustino, Cypr. Prudentio, Ignatio ep. 12. ad Antioch. In eo non solum adiuratione

vtimur, sed & ceremonijs alijs, exemplo Christi; nam surdum & mutum, vt verbo sanare potuit, tamen apprehensum de turba seduxit; *Et misit digitos suos in auriculas eius: Et expuens tetigit linguam eius: Et suspiciens in cælum ingemuit: Et ait illi, Ephrata. Atque vim nostris inesse Exorcismi* quotidiana fit hodieque testis experientia, haud secus ac in primitiua Ecclesia. de qua sic Prudentius in Apotheosis contra Iudæos: -- *Torquetur Ajollo*

Nomine percussus Christi, nec fulmine Verbi

Ferre potest: agitant miserum tot verbera lingua;

Quos laudata DEI resonant miracula Christi.

Intonat Antistes Domini; Fuge callide serpens,

Exue te membris, & spiras solue laetiter: Mancipium Christi, fur corripis, vexas.

Desine; Christus adest, humani corporis vltor. &c.

Has inter voces medias Cyllenius ardens Eiulat, & notos suspirat Iupiter ignes.

II. Porro ex casu filiorum Sceuæ certum cum Iudæi tum Gætes, Nomine IESV admittenti iuxta sunt & venerati. Christiani etiam metu icti pio. Act. 19. *veniebāt CONFITENTE & Annunciantes ACTVS POS.* Non qualis Baptistæ fiebat multorum confessio Mat. 3. Nam hæc erat catechumenorum, ante Baptismum ritusque mere externi: at Christiana est regenerantium, post baptismum, cum reali peccatorum remissione. Atque huius Confessionis, cum singulorum peccatorum enumeratione antiquitatem exemplis ac testimonijs illustribus

bus reddit testaram Baronius & Bzo-
niius hoc anno.

IV. DE PŒNITENTIARIIS autem PUBLICIS in Ecclesia etiam sub Decio manifeste docent ibidem. Mendaciq; conuincitur Socrates Nouatianus hæreticus, narrans Nectarium Constantinopolitanum publicos Pœnitentiarios abrogasse, liberumque fecisse, vt pro sua quisque conscientia ageret Synaxes. Non ita; sed conuincit Nouatianis, id hæreticè factitantibus. Propter quod & S. Gregorius Nyssenus arguitur. *Deinde*; Nectarius iussit secretam ad aures cōfitei; in publica ad omnes enunciatione conscientie; q; propter quendam reuelatæ calum. Contentionis. Idem Pœnitentiarium sacrilegum mouit officio; non ipsam sustulit l'cēnitentiam: quin singillatim peccata confiteri, ex Instituto Christi, vsuque Ecclesiæ mandauit: neque aliter ad synaxin quenquam admitti. Ista successor Nectarij S. Chrysostomus testatur *hom. 83. in Mat. & hom. 60. ad Antiochenos.*

Et vero homini Sacerdoti confitendum est; non solum soli Deo: Vnde S. Augustinus homil. 49. *Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit; quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est; Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cal: Ergo sine causa Claves data sunt Ecclesiæ; Frustramus Euangelium DEI; frustramus verba Christi. Eph. sint non frustra ACTVS suo Paulo confit. bantur.*

Namque sciebant illum posse peccata soluere, & medelam salutarem vlceri apponere.

ANNO LVII. Prima ad Corinthios epistola plurimum Ecclesiæ Rituum

facrorum aperuit magisterium.

I. EXCOMMUNICANDI ius in feceratos districtum, quod est Ligandi potestas: cuius cœptus est vsus à Deo in Ada ex Paradiso exclusissimo. Vide Baron. & Bzonium. Inde IUDICIA seu Consistoria ECCLESIASTICA dimanarunt, in laicos?imo & in Reges exercita: Fabianus Imperatorem Philippū, Ambrosius Theodosium, Symmachus Anastasium; &c. excommunicauit. Est namque Regale Sacerdotium à Christo Rege Sacerdote summo, secundum Ordinem Melchisedech Regis ac Sacerdotis. Sacerdotij igitur est iudicare causas & sæculares, & ecclesiasticas inde ab exordio suo.

II. DIVORTIVM ad altiora vota conuolantium, ad tribunal hoc sacrum pertinere docuit Paulus: decernens, posse ex mutuo consensu, ad tempus, aut perpetuo separari coniuges, vt orationi vacent; non quidem soluto matrimonio; sed vsu sibi sponte interdicto, in separatione lecti, ac etiam lecti, teste S. Cypr. l. de singularit. Cler. Altior enim coniunctio est in castitate, quam coniugio.

III. MATRIMONIUM quoque Magnum esse Sacramentum prædicauit; ob mysterium, quod significat; & gratiam, quam conciliat. Huic testando Traditio est Apostolica, ait S. Ignatius ep. II. vt nubentes cum Episcopi arbitrio coniungantur; indicio, nuptias coiri iuxta mandatum Domini, non ob concupiscentiam, Hoc est: Cui vult, nubat; tantum in Domino, nimirum iuxta ritus Ecclesiæ; Cui sponsus & sponsa offerendi, vt de consensu iudicet Sacerdos; dexteras

d iun-

iungat; annulo subarratos obliquet; Benedicat; in Missa Deo offerat commendatos, & Eucharistia cibat. De quibus eximie *Tert. l. de pudicit.*

IV. VIRGINITATEM eam in Epistola procul antefert matrimonij seu coniunctioni, seu castæ separationi. Inde Corinthijs orta VELATIO Sacrarum Virginitatis Graciam, barbarasque nationes peruasit, Collegijs earum ac viduarum passim constitutis: teste *Ignatio ep. 8. 10. 12. 13. Tertul. &c. Vt S. Cyprianus l. de habitu virg. dicat orbem istudem repletum.*

V. ECCLESIA RUM dedicationem docet ibidem Paulus; quod ad eas conueniendum; qui in eis se gerant. Ampliores domus ab Apostolis in ecclesias dedicabantur; vt Romæ Pudens Senator suam dedit S. Petro, dictam *Titulus Pastoris*. Suam Euprepia Pio I. in *Titulum ad Missas celebrandas*. Ecclesiarum situs erat versus Oriētē. Altaria tot erāt quot Martyr. sepulcra. Pro forib. plerūque salientes erant, vt Christianus lotus oret, ait Traditio apostolica apud *Clem. lib. 8. Constituz. cap. 28.* Cui lauacro successit AQVA BENEDICTA, ad valuas apposita peccatis leuiorib. expiandis. Ornatui templorum sancte studebatur, ac picturæ: in primis CRUX in titulum erigebatur in cunctis. Vnde *Laetantius in carmi. de passio:*

*Quisquis ades, medijq; subis ad limina tēplū,
Siste parūs Insonitq; tua pro crimine passū
Respice me, me corde animo, me in pectore
serua. Ille Ego, qui casus homini, in quondam
miseratus acerbo.*

Huc veni. Ita ad statuam Crucifixi.
Synonyma templi erant in primis:

Oratorium, Dominicum, Basilica, Memoria Martyrum, Martyrium, Concilium Sanctorum, Titulus, Ecclesia. In India vrbe S. Thomæ, crux facelli sanguine S. Thomæ visitur aspersa; quæ anno 1561. ad Euangelium, sub Missa sudauit sanguine, fulgore circumfusa resplenduit, ignotasque momento literas ostendit; quibus Brachmannæ duo lectis historiam S. Thomæ contineri affirmabant.

VI. EUCHARISTIA in templis Conficiebatur, & Dispensabatur, & Aseruabatur, & Adorabatur.

RITVS communicandi seruabatur ex verbo Tradito, non scripto. Vnde, *Cor. II. Cetera, cum venero, disponens:* Vt, quod à ieiunis communicandum pro viuis ac defunctis offerendum: Elevatione proponendum vt adoretur. Communicaturis præco clamabat, *Sancta Sanctis:* dans S. communionem dicebat, *Corpus Christi;* recipiens, Amen. id est, *hoc est verum.* Ambr. de Sacri. li. 4. c. 5. Viri concauâ dexterâ, femine linteo candido S. Hastiam excipiebant, sumebantq; quâdo libebat. Mos hic durauit ad vsq; an. 900. Synodus sexta vetuit ea *Receptacula.*

Romani & Africani quotidie communicabant: postea solis Dominici secumque deferebant domum, sumpturi per septimanam: Id quod Hormisdas Papa abrogauit Occidente toto: Orientales morem retinuerunt: iter initari longius secum Eucharistiam deferebant in euentum. In templis vero aseruabatur plerumque suspensis columbis inclusa; idque sub vna specie: in qua & communicabant pro arbitrio: Si qui indigne; aut morte subita peribant; aut

oblecti à Satana vexabantur; idque saepe non semper.

VII. STIPENDIA CLERICI accipiebant excuiusque sponte oblatis, Episcopo tactis; distribuenti ea per mensuram sportulam: vnde *sportulantes* dicti. Ipsi et gentiles olim Decimas Sacerdotibus offerrebant, manubiasque vouebant: teste Lipsio in *Admirandis*. l. 3, c. de decim.

VIII. In epistola ad Timotheum Episcopi Episcopum Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ; quod bona opera à fide separantes circa fidem naufragassent. Item declarat à fide discedentes Saturnianum & Ebionem, ait Irenæus l. 1. c. 23, & Ignat. ad Philadelph. quod prohibebant nubere, dicentes Matrimonium esse doctrinam diaboli; *Et abstinere à cibis, quos Deus creauit.* &c. scilicet ab animatis, ut erant Encratitæ, Marcionitæ, & Manichæi secutis temporibus. De quo in nostro *Luthero calumniosa* p. 4. q. 89. 94.

ANNO LVIII. Episcopos & Presbyteros instituit Titum iubebat Paulus, eos, qui essent *sue crimine, sicut DEI Dispersores*, Successores Apostolorum futuri.

Presbyteri namque in Nouo Testamento erant, quod in Vetere Leuiticæ; scilicet Episcoporum Assesores & Consiliarij. Quid differrent gradu, docetur 1. Tim. 5. *Aduersus presbyterum, ut subditum tuum, accusationem non accipies, ceu iudex eius, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Vnde Hieron. contra Luciferianum: *Imponit manus Episcopus; non presbyter.* Sic ut à Philippo baptizati Samaritanæ, confirmantur à S. Pet. iuxta, *Tu conuersus confirma fratres tuos.* Vide *S. Irena. ep.* 5. 7. 9. 11.

COELIBATVM commendat isto: *Vnius uxoris virum.* Cretenses enim le-

gibus à puero nubere cogebantur: ut ibi cœlibem reperire non fuerit: proinde polygamiam statuit esse ad sacros Ordines impedimentum: Eo quod, ait Hieron. epist. 50. *Apost. si fuerant aut Virgines, aut post nuptias Continentes.* Quodque ait Epiph. in Compēd. *Sanctū Sacerdotiū sit ex virginibus ut plurimū procedens.* &c.

II. OBEDIENTIAM Fidei Paulus ad Romanos commendat; volens & cæteras nationes ad eorum credere formam. Ita S. Patres ibidem.

III. Idem Troade prolapsus è cœnacula Eutychum præmissa Fractione panis, seu Missa à mortuis suscitauit. Quo in actu sacro lampadum fuit usus multus; ceu hodieque cereorum: Quem S. Hieronymus contra Vigilantium asserit, & miraculis Deus. *Greg. Dial.* 3. c. 30. *S. Paulinus apud Turon. de S. Mart.* c. 2.

IV. DOMINICA quoque dies notatur culta tunc in eo: *Vna Sabbati*, qua Troade prædicatum, cœnatum: Corinthijs Collectæ factæ. Vnde S. Ignatius epist. 6. ad Magnesian. *Post Sabbatū omnis Christi amator Dominicū celebret diem:* quo scilicet *vna Sabbati* Christus resurrexit: & Pet. celebrauit Pascha; ait Beda *Retract.* in Act. c. 20. Aug. serm. 251. de tēpore.

V. FESTA B. Ma. Apostolorum, in primis Martyr. ait Clem. *Constit.* 8. c. 39. celebrari debet post Christū. Sic & S. PP. cæteri, ac Concilia. Antiquitati præcelebritas eorundem semper fuit, hominumque pietas vngentium, osculantium sepulcra, facientium Collectas, erogantium pecunias: Nec tamen ab vlla sibi metuentium idololatria. Festis fideles per Cursorem conuocabantur, obdita: è ethnicorum; non villo signo publico.

Remittente tamen persecutionum ex-
nitiâ, crepitaculis ligneis ciebantur. De
mum pace data ære campano.

VI. ORATIONES autem Christia-
norum quod versus orientem fierent;
sibi perluadebant ethnici ab eis solem
adorari. Sed ratio illius hæc proditur;
quia Christi ascendenti relicta in saxo
vestigia orientem spectabant: Quo
versus & ipse Redemptor in cruce suf-
fixus respiciebat.

Atque hinc mos inoleuit antiquissi-
mus, vt in baptismo dæmoni abiure-
tur vultu in occidentem verso: in O-
rientem vero, eum Christo iuratur.

Situs ritusq; orantiû erat nûc rectus
stando; vnde *Stationes* dicta sunt Orato-
ria; nunc genibus humi flexis; pro tem-
porum diuersitate; idque ex Apostolica
Traditione: Subinde expansis brachijs;
vt plurimum iunctis porrectisque pal-
mis demisso, surrectoue vultu; mode-
stiaque spectabili.

Atque ita tam in templis, quam in
processionibus.

VII. VIRGINVM DEO dicanda-
rum illustre datum exemplum est in
quatuor filiabus Philippi. *Act. 21.*

VIII. RASVRAM Nazaræis præ-
cepit Synodus Apostolorum quarta; vt
pote habentibus Votum, legesque ho-
diernorum similes Religiosorû. Quo-
rum inde latior in coronam rasura ma-
nauit; certo professionis significatu ac
admonitu: nimirum quasi lugentium
semper in statu pœnitentiæ, Nam Græ-
ci in luctu radi tolebant.

TONSURA item Clericalis hinc ori-
ginem duxit. Causas eius plures reddit
Baronius ex variis; at accurate *Duranti-*

us in Rationali lib. 2. c. 1. n. 20. & 31. histo-
rica illa, quod vt Crux, ita rasura apud
gentes ignominiosa vertit in gloriæ &
honoris coronam. Vnde Coronâ Epi-
scopalem esse latiore, quam clerca-
lem, oportuit; ceu status perfectioris in-
dicem: Tantæque ob sanctimoniam re-
uerentiæ; vt supplices per Coronam iu-
uerint obsecrare.

Hæretici quia in Hispania similes
Catholicis coronam affectabant liti-
torem; ideo Orthodoxus Clerus, ad
modum monachalem latissimæ coro-
næ, seradere iussus est. S. Petrus quo-
que traditur à gentibus in ludibrium
rasmus, dum prædicaret.

ANNO LX. S. CRVCIS mos videtur
& statuendæ & Formandæ ab inuicem
crucis inualuit. Cum enim Simonis Ma-
gigenimina Basilides, Cerinthus, &c.
Iesum à Christo diuiderent, vt superli-
quet; Iesumq; induisse Simonem Cyre-
næum fingerent, & hunc solum passum,
non CHRISTVM: sicq; Crucem Chri-
sti abnegabant; ideo Paulus Ephesius
Colossensibus, Laodicenis & Corinthi-
is contestabatur se prædicare *CHRIS-
TVM & hunc Crucifixum*; nec aliud se
scire, nisi Hunc. Inde Apostolica Tra-
ditione introductum est, vt Ecclesia vet-
bo, signis, & factis Crucem cõfiteretur,
in & Ecclesiarum Titulis singularum, in
Frontibus, &c. *Cyrl. Catech. 13. Eter. ep.
22.* Vide huius præclara dicta, factaque
apud Baron. & Bzouium.

II. ANGELORVM CVLTVS sacri
monet. Paulus, *Col. 2.* quod Cherinthus
eos Christo anteponeret: vel quod Iu-
dæi stellas putarint animatas esse, co-
luerintque pro Angelis.

Venerandi sunt igitur dulcitic^{os}.
 III. CANTVS ECCLESIASTICI
 monet ibidem; scilicet ad exemplum Sera-
 phinorum aeternum canentium Deo; vel
 ut S. Ignatium vidisse testatur *Socrates*
 l. 6. c. 8. eoque formam Ecclesiae Antio-
 chenaē expressam chori instituendi,
 Eademque ad omnes peruenit ecclesi-
 as apostolica traditione. Cantum in pri-
 mis varie vsurparunt: i. cum gestibus, &
 populo concinente cum Clero: sed ob
 confusiones, ait Hieron. silere iussus est
 populus, Alexandrinorum cantus erat
 simplex, suavis orientalium, medius Ro-
 manorum. *Miletiani* haeretici cantabāt
 cum plausu, saltu, tintinnabulis. Contra
 eos scripsit S. Athanasius. *Paulus Samo-
 sat* cani fecit hymnos de Se; priscos de
 Christo vetuit. Sic & Apollinaris. S.
 Hieronymus & Chrysostomus, suadent, cantum
 pueros ab nutricibus doceri. Musica in-
 strumenta adhibita probantur: solam
 cytharam ait Augustinus esse ab eccle-
 sia proscriptam.

ANNO LXIX. Petrus & Paulus af-
 fecti martyrio regifice conditi in Vati-
 cano sepeliuntur. neque tot inter per-
 secutiones vlla eorum reliquias conti-

git affici contumelia. Procul ab orbe
 vltimo frequentabantur ad eos peregrina-
 tiones. Orientales S. Copti pro surre-
 pturi ad alterum milliare secum aspor-
 tarant: sed vltius nequiverunt vel lo-
 co mouere: itaque loco pristino resti-
 tuunt, Urbis Imperijque munimento.
 Passionis eorum instrumenta quoque
 in reuerentiam sunt à S. Balbina asser-
 uata. Nero etiam per visum territus ab
 ijs, omittit persecutionem: seque truci-
 dat ipse anno 70.

PERSECUTIONES denique purpu-
 rarunt hoc saeculum quatuor.

1. Paulina anno 34.

2. Ierosolymitana ab Agrippa, quae
 plexit capite Iacobum, disperlitque A-
 postolos ac discipulos. an. 44.

3. Neroniana anno 66. tenuit osten-
 nium.

4. Domitiana anno 92. haec etiam
 martyrum acta flammis hausit cepta in
 Ioanne in Pathmum relegato.

SCRIPTORES infidelium florue-
 runt Liuius, Ouidius, Plutarchus, Luca-
 nus, Probus, Iuuenalis, Quintilianus,
 Philo Iudaeus, Iosephus.

E R G O:

1. Dic age; Quae sincera FIDES hoc constitit Aevo I?
 At SIC PAPISTIS RESSTAT ROMANA, FIDESQVE:
 Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
 Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTINE CHRISTVS erat quisquam hoc ROMANVS in Aevo?

d 3; SAE-